

Arminius, quid fecisti?

Ante dua milia annorum Publius Quinctilius Varus mortuus est. Vitam finivit manu sua in silva Teutoburgiensi. Adversarius eius Arminius (in Germania postea Hermannus vocatus) caput eius ad regem Marcomannorum misisse traditur. Nos iuris consulti, qui leges edendi et potandi curamus, sine mora quaesimus et scire volumus, an mors eius violenta aliquid nos docere possit.

Varus, tribunus militum et procurator rei publicae peritus, legatus Augusti pro praetore in Germaniam brevi ante missus erat, ut provincias gubernaret, id est, ut ex aequo et bono iudicaret, ut vias strueret, ut negotia commercii administraret. Ille autem, ut novimus, cito animos Germanorum educare eisque tributa imponere voluit. Eum admonitionem seditionis futurae pro nihilo habuisse constat. Ita factum est, ut Arminius, iuvenis dux Cheruscorum, eum in insidias allicere posset. Ibi Varus plus quam milia decem militum amisit et gravem cladem accepit. Ex illo tempore Romani fines imperii in Germania non iam extendebant.

Nos autem duas res e fato Vari discere possumus – mea quidem sententia.

Primum, si Varum suppressorem libertatis videmus: Tumultum provocat, si quis in cives leges plurimas coacervat et eos legibus quasi superfundit. Hodie, Deo gratias, procurator nullus morte sanguinea punitur, cives autem superfluis muneribus obligati in gubernatores acerrime agere et rebellionem parare possunt, etsi leges non ab hosti superbo imponuntur. Hodiernis diebus legislatores Germani et Europeani leges alimentarias, ut ita dicam, leges nutriendi et edendi permultas ferunt. Quomodo autem agent mercatores cibi et potionis, si “dolum plenum erit”? Certe seditionem in animo habet nemo, ut quondam Arminius ille, sed leges abrogare et reos capite damnare omnibus semper iucundum est.

Deinde, si Arminium auctorem libertatis videmus: Si res in discrimen adducta est, non necesse est “infantem cum balneo effundere”. Clade enim Romanorum perfecta Germania plus quam annos mille sine auctoritate imperii Romani administrata est. Arminius etiam de legibus Romanis triumphavit et ita certe fines boni et aequi transgressit. Qua de causa legislatores Europeani in legibus constituendis non solum videre debent, quid utile sit, sed etiam, quid incommodi futurum sit.

In fato Vari considerando lugeo mortem eius miserabilem, cultura Europeana certe prius crevisset et florisset, si leges Romanae valuissent. Ius enim Romanum sine dubio structuris claris et solutionibus flexibilibus Germanis sic antiquis utile fuisset, sicut et nobis exemplo sit et legislatoribus Europeanis. Ibi exempla sumenda sunt. Quod autem leges nutriendi sine ratione latas (“nonsenticas”) attinet, desuetudo consideranda est (Dig. 1,3,32), quia leges adhibendae non sunt, si eas rationem non habere videmus. Permulta exempla edictarum non ideo earum omnibus legum nutriendi peritis nota sunt. Me rem tumultuosam cogitasse sentis, lector benevole? Fortasse Arminio placuisset.

Auctor patri pro auxilio suo in haec verba scribendo magnam gratiam refert.

Professor Dr. Moritz Hagenmeyer